Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

suos dixit: Ecce sanus factus sum. Prosternens autem se pater eius et mater ad pedes Romuli cum magna devotione dixerunt: Iste homo aut propheta aut amicus dei est. Et admirati sunt omnes. Victurinus autem credidit cum omni domo sua in dominum Iesum Christum. Mansitque Romulus in eodem loco multis diebus convertens multos ad dominum Iesum Christum per constantiam predicationis et efficaciam virtutis. Nam cecos illuminabat, demones effugabat, paraliticos curabat, ceterasque virtutes in nomine domini Iesu Christi faciebat.

Cognoscens autem quod pagani Fesole morantes tam seui moribus erant ut nullis umquam predicationibus assensum preberent, elegit magis ad alia loca predicando transmigrare quam semina verbi dei sentibus incassum inserere. Tunc iter arripiens cum sociis suis tandem devenit ad urbem Btirianam. In qua etiam filium cuiusdam vidue resuscitavit multosque faucibus antiqui hostis ereptos convertit ad dominum. Post hec veniens Pergamum moratus est ibi annum integrum et dimidium.
Ubi cum duos mortuos vite restituisset beatus Romulus plurimasque virtutes in nomine domini Iesu faceret, multi crediderunt in dominum Iesum. Deinde cum deliberaret apud se velle ibi accedere etiam ultra ad alia loca predicando non transmigrare, ecce angelus domini in somnis increpavit eum preceptique magistri licet invitum perficere coegit. In ipso autem noctis medio surgens a somno socios vocavit seriemque visionis angelique se increpantem retulit. Nec moram ibi facientes ductore angelo quem in somnis habuerat hortatorem Fesulanam venerunt ad urbem. Cumque appropinquaret civitati, beatus Romulus prosternens se super lapidem ante portam dixit: Deus creator celi et terre, immitte cognitionem nominis tui in civitatem istam, ut relicto infidelitatis errore convertantur ad dominum Iesum Christum filium tuum. Responderunt socii eius: Amen. Stabat autem super murum civitatis puella et audito hoc sermone cucurrit ad patrem suum dicens: Ante portam civitatis vidi hominem prosternentem se super lapidem diutius orantem. Cumque ab oratione consurgeret, elevatis oculis suspexit in celum. Sermonem autem quem locutus fuerit ignoro. Tunc beatus Romulus sociique eius ingressi civitatem pervenerunt ad domum Adriani et introierunt in eam. Dixit autem puella filia Adriani: Istum hominem vidi ante portam civitatis loquentem. Et dixit pater puelle: Quod tibi nomen est? Respondit: Romulus. Unde autem venitis? De urbe [roma] inquiunt, volentes vobis viam veritatis ostendere, ut ydolorum culturam relinquentes colatis et adoretis creatorem vestrum dominum Iesum Christum, qui a iudeis crucifixus est. Cui respondit Adrianus: Venerunt quondam ad nos duo viri ex ista urbe Roma nomen Christi predicantes, quorum alter Marcianus, alter vero Crescencianus vocabatur. Quos nostri cives comprehendentes multisque eos suppliciis afficientes tandem semineces ab urbe expulerunt. Marcianus vero et Crescencianus hoc et audientes rei quod est veritatem in se expertam cognoscebant, sed huiusmodi supplicia se perpessos prodere renuebant. Et dixit Adrianus ad Romulum: Que est virtus dei tui? Respondit Romulus: Virtus dei mei talis est, quod invocato nomine eius mortuos suscitamus, leprosos mundamus, demonia ex obsessis corporibus eicimus, virtutesque plurimas operamur. Cui si credideris, predictorum signorum potentiam consequeris et eterne vite gaudia in eternum possidebis. Auditis igitur sermonibus beati Romuli Adrianus dixit: Vere cognosco quod angelus domini per os tuum loquitur. Nec mora Adrianus ydola deserens pedibusque Romuli advolutus rogabat eum ut eum sacri baptismatis unda perfunderet. Et instruens eum beatus Romulus omnem fidei regulam baptizavit eum cum uxore et filiis omnique domo sua.
Ipsa vero die multi predicatione eius crediderunt in dominum Iesum Christum. Erat quidam iuvenis in eadem civitate nomine Celsus, qui a demonio vexabatur. Audiens autem hoc beatus Romulus venit ad domum eius, patremque et matrem eius et omnesque vicinos suos invenit flentes. Videns igitur eum acerrime vexari, dixit ad illos: Quid vultis? Si credideritis in dominum Iesum, fletus vester in vocem letitie et exultationis cito mutabitur. Tunc accedentes pater et mater iuvenis genibusque beati Romuli inherentes rogabant ut filium suum ab inmundo spiritu liberaret. Omnes quidem qui aderant constanter asserebant in Christum se credituros, si orationibus eius puer a demonio liberaretur. Et conversus Romulus ad socios suos Marcianum, Crescencium, Carissimum, dulcissimos dixit: Oremus fratres ad dominum Iesum, ut creaturam suam quam imagini sue voluit esse consimilem ab inmundo spiritu liberare dignetur, ut astantes viso hoc miraculo credentes in eum superne Ierusalem faciat esse concives. Cumque ab oratione consurgerent, beatus Romulus manum suam super caput pueri ponens dixit: In nomine domini nostri Iesu Christi precipio tibi demon ut recedas ab homine isto.
Statimque ululatum dire vocis emittens reliquit puerum. Omnes vero qui aderant dei laudantes potentiam crediderunt in dominum Iesum. Ipsa autem die baptizati sunt homines promiscui sexus numero quasi .xc. Baptizatus est autem et puer qui a demonio liberatus fuerat et pater et mater cum omni domo sua. Tunc beatus Romulus et Marcianus et alii ceperunt ordinare clericos per totam civitatem et ecclesias edificare et baptizare credentes.
Iam enim numerus fidelium augebatur valde. Audiens autem Reptianus, qui erat comes civitatis, quod Romulus cum sociis suis culturam ydolorum destrueret et ad